



Hister decimus sextus indiuiduus comes Tuisco
 nis factus, ad fluuium Europæ maximum con
 sedit, atque Ripenses uersus Rhetiam in officio cō
 tinuit, & legibus reformauit. Propterea quoq; flu
 men illud ab ipso principe suo Ister denominatum
 fuit. Idem tamen postea à montis Abnouæ cacumi
 ne in quo oritur iuxta Doneschingē, in Sueuia Da
 nubius dictum est. Postea quoq; Ister dux uersus
 Italiam, Coloniam duxit, atq; gentem Istrorum à se
 cognominatam condidit. Quanquam postea fama
 à Græcis sparsa fuerit, eam gentem à Colchis origi
 nem suam traxisse. Beros.